

Dissertatio academica de febre, : Cujus veritatem Deo duce et auspice Dei-parâ tueri conabitur in augustissimo Monspeliensi Apollinis Fano propugnabit ab horâ octavâ ad meridiem die mensis Februarii anni 1728. / Ludovicus-Josephus Bouchet ... Praeside illustrissimo viro D.D. Jacobo Lazerme ... ; Ad primum Apollinarem Lauream consequendam.

Contributors

Lazerme, Jacques, 1676-1756.
Bouchet, Ludovic-Joseph, active 1728.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Monspellii : Apud Franciscum Rochard, Regis, Praefecturae, & Universitatis Typographum unicum, M.DCC.XXVIII.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b53u84gb>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO³

ACADEMICA

DE FEBRE,

CUJUS VERITATEM, DEO DUCE ET
Auspice Dei-parâ, in Augustissimo Monspeliensi
Apollinis Fano propugnabit ab horâ octavâ ad me-
ridiem, die mensis Februarii anni 1728.
LUDOVICUS-JOSEPHUS BOUCHET Bifuntinus,
Artium Liberalium Magister, jam dudum Medicinæ
Alumnus & Universitatis Consiliarius.

P R Æ S I D E

ILLUSTRISSIMO VIRO

D. D. JACOBO LAZERME;
Regis Consiliario & Medico, nec non in almâ Mon-
speliensium Medicorum Academia Professore Regio
dignissimo.


Ad primam Apollinarem Lauream consequendam.



MONSPELII.

apud FRANCISCUM ROCHARD, Regis, Præfec-
turæ, & Universitatis Typographum unicum.

M. DCC. XXVIII.



DISPUTATURI

PROFESSORES REGII.

R. D. Franciscus Chicoyneau, *Cancellarius & Judex.*

R. D. Joannes Bezac, *Decanus.*

R. D. Petrus Chirac, *Serenissimi Aurelianensium Ducis Archiater.*

R. D. Antonius Deidier, *Sti. Michaëlis Eques.*

R. D. Petrus Rideux.

R. D. Antonius Magnol.

R. D. Joannes Astruc.

R. D. Henricus Haguenot.

R. D. Franciscus Chicoyneau, *Filius, Patris Coadjutor.*

R. D. Gerardus Fitzgerald.

DOCTORES ORDINARII.

M. Thomas Palmié.

M. Jacobus Maurice de Clerguemort.

M. Marcus-Antonius Dumollin.

M. Petrus Rivet de la Maison-neuve.

M. Joannes-Baptista Teyssier.

M. Petrus Lample.

I

DISSERTATIO

ACADEMICA

DE FEBRE.

PROOEMIUM.



IRUM fanè Febrem, frequentissimum morbum, inflammationis, pluriumquè morborum individuum comitem, mortis, & soepè sanationis optimam causam, adeò obscure notam fuisse, ut quæ sit Febris essentia, ex antiquorum scriptis inferre arduum planè sit.

Ex hac obscurâ Febris notitiâ tot ortæ controversiæ, tot veterum opiniones quas hic recensere tædiosum ac inutile foret, hoc tantum notare volumus, ignotam priscis medicinæ temporibus sanguinis circulationem obscuram Febris notitiam reddidisse; tantus enim est Febrem inter & sanguinis circulationem connexus, ut istius ignorantia alterius obscuritatem importet: Quapropter ut quid certius in re præsentî proferamus, rejectis tum veterum opinionibus, cum neotericorum fermentis sine quibus Febris esse potest, novis inventis edocti, ac simpliciorum methodum sequentes, Febrem ex vitiatâ sanguinis circulatione (à

Clarissimo Harveio cum immortalis nominis famâ detectâ) & deprevatâ solidorum, cordis potissimum & arteriarum vi sistalticâ deducere placet. Hanc insistentes methodum, clariorem Febris æthiologiam exaratu- ros confidimus: verum ne rerum dicendarum multitudo confusionem afferat, necesse fore duximus quæcumque ad Febrem pertinent methodo sequenti exponere.

FEBRIS DEFINITIO ET DIFFERENTIÆ.

UTI abdita habetur Febris natura, ita summâ ope cavendum ab omni errore in illâ indagandâ; errori tamen facilem hîc occasionem præbet multitudo symptomatum quibus plerumque stipatur, & sinè quibus tamen Febris esse potest. Ut ille vitetur error, opus erit illa phœnomena sola eligere, quæ omni Febri semper adsunt, quorum cognita præsentia omnes Medicos docet Febrem adesse, quorum absentiâ judicant hominem à Febre immunem: Nam sicuti morborum nullus est, qui symptomata non habeat essentialia & sibi propria quibus ejus præsentia noscitur, & à quocumque altero affectu distinguitur, ita sanè Febri sua sunt signa propria & inseparabilia quibus dignosci potest.

Verum si ea perpendamus sinè quibus Febris nunquam invadit, duo præsertim reperiemus, præternaturalem pulsûs frequentiam, & calorem intensum: Ex his igitur Febris petenda. Neque opinionem hanc evertit exemplum Februm castrensium ab Helmontio relatum, quæ ab initio usque in finem vitæ absque calore suam peragebant tragoediam, cum id de partibus externis in-

telligendum sit quæ algidæ erant, dum internæ æstuebant. Hoc idem non semel observavit Patronus colendissimus, & proximè elapsâ æstate ægrum adiit Febre malignâ gravissimâ laborantem, qui per plures dies tactu adeo frigidus fuit, ut neque cardiacis assumptis, nec calore ignis indefinenter ferè admoto, incallescere potuerit, dum intensum calorem in interioribus sentiebat.

Neque magis urget præternaturalem pulsûs frequentiam Februm malignarum exemplum, in quibus pulsus ferè naturalis quandoque observatur, cum frequentia pulsûs gradus diversos habere possit, minimusque ad Febrem constituendam sufficiat, qui comparatione cum naturali pulsu & statu hominis morbofo faciliè noscetur. Nec pariter pulsûs frequentia è Febris definitione exulat, quòd syncopes Febres non-nullas & præsertim malignas sæpè comitetur, cum summa virium prostratio causæ Febrem producentis actionem impediat, & nullatenùs tollat, sanatâ enim syncope, motuque cordis restituto, Febris ut antea micat.

Tametsi Febris aliarum functionum læsionem semper inducat, hæ tamen seorsim sumptæ ejus essentiam minimè constituunt, cum Febris finè hac aut illâ functione læsâ, nusquam verò absque pulsûs frequentia & calore intenso invadat; quod sanè maximam mereatur considerationem, cum essentia Febris in his tantùm ponenda quæ ab ipsâ inseparabilia sunt.

Hæc autem detecta quasi manu nos ducunt ad motum sanguinis circularem cujus sunt effectus, cum pulsus & calor naturalis ex hac functione vitali procedant, eamque ita consequantur, ut alterato ac quomodo vitiato sanguinis circuitu, non possit non fieri quin & ipsi lædantur. Ex his igitur ritè expensis, natura Febris individua invenienda erit, quæ idcirco sic definiri potest.

Febris est præternaturam acceleratus in majoribus vasis sanguinis circuitus, qui præternaturalem pulsûs

frequentiam, calorem intensum & functionum læsionem essentialiter adjuncta habet.

Hæc verò vel sola & absque præcedente affectu invadit, & verè morbus est, vel alteri adjungitur morbo & symptomatice nuncupatur, quia ejusdem symptoma est, ut dum inflammationi, ulceri adjungitur, quæque non sanatur, nisi altero à quo pendet morbo sanato.

Solemnis atque in praxi magis usitata est divisio Febris in continuam & intermittentem : Continua ea est quæ à primâ invasione ad finem usque ægrum indefinenter affligit ; intermittens illa dicitur quæ per intervalla deferit & recurrit. Utraque suas habet species quas brevitatis causâ tacemus.

Alteras Febris habet differentias quæ petuntur à causâ, compositione, more, motu, excretis & læsione actionum : Coeteras ab antiquis enumeratas, utpote nullius ad praxim utilitatis omittimus.

A causâ, Febris dicitur lactea, putrida vel epidemica, quatenus à lacte, à putredine primarum viarum, vel à causâ universali ut ab aëre aut cibis vitiatis producit.

A compositione, simplex est vel composita : Simplex sola & absque consortio alterius invadit ; composita dicitur quæ cum alterâ conjuncta ægrum affligit, ut dum Febris ardens cum malignâ complicatur.

A more, Febris est benigna, periculosa, maligna vel pestilens : Benigna levibus stipata symptomatis, sua finè periculo percurrit tempora, ut ephemera. Periculosa ob symptomatum vehementiam ancipitis est eventus, ut Febris ardens, synochus putris. Maligna ea dicitur quæ graviora habet adjuncta symptomata quàm natura Febris exigere videtur : Hæc sæpè sub benignæ specie clam ægro insidiatur. Demùm pestilens ea est quæ epidemicè grassans plures enecat quàm salvos relinquit.

A motu, Febris acuta vel lenta dicitur : Acuta dum citò & cum periculo sua percurrit tempora, secus verò lenta vocatur.

5

Ab actionis læsione, Febris dicitur soporosa, vigil, tussiculosa, syncopalis, &c. quæ verò graves anxietates parit cum nausæa ut plurimum & vomitu, assodes nuncupatur.

Ab excretis, est vomitoria vel dejectoria; hæc verò elodes vocatur quæ frequenter movet sudores sinè ullò ægri levamine.

Demùm si rigores frequenter invadant, Febris algida seu phricodes dicitur. Epiala quando frigus & calor in eâdem parte simul percipiuntur. Lypiria quando partes externæ rigent, & internæ magnoperè fervent. Scarlatina seu rubra, dum cutis ferè tota rubore perfunditur.

CAUSÆ TAM PROXIME QUAM REMOTE, FEBREM PRODUCENTES.

UT vera legitimaque afferatur causa proxima Febris, ad ea potissimum attendendum quæ in statu naturali motum sanguinis circularem producant: docet autem physiologia motum hunc humorum in orbem imprimis cordis contractione absolvi; nam tametsi vis vasorum sistaltica ad hunc quoque conferat, at tamen contractio cordis præcipua est hujus motus potentia, quâ vigente & ipse viget, fatiscente verò languescit, ad cujus rythmum vis vasorum sistaltica ordinatur; cordis enim pressione sanguis in appensas arterias pulsus alterum cruorem in tubo arterioso contentum impellit, hic impulsus contiguitate columnarum non solum ad extremas arterias pervenit, verùm adhuc sanguini in tubo venarum contento communicatur, factâ ejusdem diminutione juxta numerum & magnitudinem resistantiarum quas superandas habet: Quapropter causa proxima Febris erit frequens & accelera-

ta nimis cordis contractio quâ sanguis frequentius celeriusque in arterias necessario est pellendus ; hanc verò frequentem & nimis acceleratam cordis contractionem efficit frequens & celerior sanguinis ad ejus sinus appulsus, cum cor à sanguine appellente dilatatum ad contractionem stimuletur ; quæcumque igitur celerio-rem sanguinis ad cor appulsus efficient, inter causas Febris annumerari debent.

Hunc verò frequentio-rem sanguinis ad cor appulsus duo imprimis efficiunt. 1o. Quæ cordis vigorem augent & intendunt. 2o. Quæ sanguinem per vias breviores atque directiores ad cor redire cogunt.

1o. Intenditur cordis vigor à velociori reciproco liquidi spirituosus influxu, quo validior ejusdem contractio futura est, majorque sanguinis in arterias impulsus. Verum vis motrix augeri nequit, nisi pari momento celeritas sanguinis crescat ; necesse igitur est, ut aucto cordis vigore, circularis sanguinis motus acceleretur, sicque cor frequentius ad contractionem stimuletur : In omni verò dolore fibræ nerveæ vehementer succussæ influxum liquidi spirituosus cor versum intendunt, dolor igitur erit causa Febris, seu ipsa superveniet dolori, cujus momentum velociorem liquidi cerebrosi & cerebellosi influxum in cor proritare poterit, ac propterea quæcumque dolorem hujus vehementiæ parient, Febrem remotè producent. Hinc Febris inflammationis ferè individuus est comes, quia ea sine quodam dolore non fit, & quò inflammatae partis sensus exquisitior est, eò Febris accenditur major.

Neque profectò aliâ ratione phlegmon paronichia dictus æstus febrilem concitat, nisi ob sensum exquisitissimum qui in extremis digitis viget, cum idem tumor in parte minus sensibili sæpè sine Febre excite- tur : Exindè fit ut eâ proportionem Febris remittat, quâ dolor mitigatur, ac cessante dolore penitus quoque evanescat. Nec tamen ex eo concludere volumus inflammationem, præsertim si gravis fuerit, aut internas

obsederit partes, Febrem absque doloris concursu producere non posse, cum experientia sæpè nos doceat Febrem acutam inflammationi quæ levem seu tolerabilem dolorem affert esse adjunctam.

Eadem pariter ratione dolores rheumatici vel colici acuti, frustula ossis fracti partes nerveas vicinas pungentia, calculus, aut lapilli ureteribus impacti, eosque acriter irritantes, ambustiones, caustica potentiora ulceribus tumoribusque admota, Febrem producant. Id sanè in puncturâ tendinis luce meridianâ clariùs patet, cum Febris ejusdem sectione illicò cesset: Nec refert in quâ corporis parte dolor fiat, modò sit requisiti momenti, quia nulla est quæ cum corde sympathiam non habeat, ita demonstrante experientiâ.

20. Sanguis sæpiùs ad cor appellit, illudque ad contractiones frequentiores stimulat, dum angustatis vasis capillaribus, sanguis per truncos vasaque majora circulator, quæ utpote directiora viam breviorē cruori præbent, quâ per venas citiùs ad cor reducit. Nec quidquam vasorum divaricatione in Anatomia certius, quæ liquidorum in vasa infusione, partium maceratione, observatione demùm optimis microscopiis factâ demonstratur, quibus constat arterias majores minores, & minimas undique emittere, quæ utprimùm à truncis abscedunt, inflexiones ferè infinitas patiuntur, ac cincinnos efformant, quibus sanguinis celeritas, ob inflexionum multitudinem, non parùm est retardanda. Præterea summa ramorum ex arteriâ oriundorum ejusdem cavitatem semper excedit; igitur velocitas sanguinis eâ proportionē imminuenda, quâ divisio ramorum crescit: Quapropter sanguis minùs celeriter in capillaribus quàm in truncis movetur, adeoque angustatis collateralibus, circuitus brevior celeriorque per truncos futurus, sicque sanguis crebriùs ad cor redibit.

Rursus datâ capillarium angustia, major cruoris quantitas in truncis continetur, cum ea sanguinis copia

quæ collateralia angustata circuire debebat, in truncis retineatur; trunci verò repleti, magisque distensi ac stimulati majores contractiones edunt, quibus sanguis validius ad venas continuas pellitur, atque idcirco majori celeritate in cor reducit. Hoc experientia in vivis animalibus demonstravit, ligata enim axillari arteriâ, pulsus validior in carotide ejusdem lateris fuit observatus.

Demum sanguis per truncos circulatus portio totius massæ mobilior est, parte crassiore in capillaribus obstructis stagnante, qui aliundè ob viarum directionem minores resistentias superandas habet, & minus sui motus dispendium facit, igitur majori celeritate ex arteriis in venas transibit.

Veruntamen obstructio capillarium æstus febrilem semper non concitat: Tria requiruntur ut Febris ex eâ obstructione nascatur. 1^o. Necessè est ut trunci in quos sanguis ex obstructis capillaribus refluit, debito tono & nativâ fruantur vi elasticâ, ne sanguini appellenti nimis cedant, secus liquidum in vasis laxatis stagnans lentesceret, & languescente pressioni vi, lentius in ipsis moveretur.

2^o. Hæc obstructio non paulatim sed subito facienda, ut vasa capillaria sanguini appellenti resistant, eumque per truncos subito & cum impetu fluere cogant, quia vasa corporis humani admodum flexibilia, seu maximæ distensionis capacia sunt, modò vis distendens sensim & quasi per gradus in ipsa agat: Quapropter dum obstructio sensim fit, sanguis ad cœtera capillaria non obstructa sensim uberiùs ducitur, quæ paulatim distensa & ampliata, viam sanguini liberam facilemque præbent.

3^o. Ut Febris ex obstructione capillarium nascatur, non unum aut aliud vas capillare obstrui sufficit, sed major eorum pars est obstruenda, ut scilicet ex hac obstructione reditus sanguinis per venas ad cor acceleretur; quod sanè non continget, nisi capillaribus majori

jori ex parte obstructis : Ponamus enim tantum obstrui quædam capillaria, motus equidem sanguinis in truncis accelerabitur è quibus obstructa capillaria oriuntur, sanguis verò per hos truncos celerius provolutus, erit ad sanguinem qui in trunco venæ cavæ movetur, uti trunci sunt ad cœtera vasa è quibus sanguis in truncum venæ cavæ ducitur ; igitur obstructis aliquot capillaribus, sanguis per truncos celerius provolutus, erit ad molem sanguinis in cavâ contenti, ut i. ad 100. si obstructa capillaria centesimam humani corporis partem, (pulmonibus exceptis) constituent, adeoque dum hic sanguis ad cavam pervenerit, centies minus celeriter movebitur, quia hujus velocitas centum aliis cruoris partibus erit communicanda, fiet ergo insensibilis & ferè nulla.

Ex his inferre possumus, 1º. Numerum capillarium obstructorum qui ad Febrem excitandam requiritur, nullo pacto determinari posse, cum modò major, modò minor esse possit. 2º. Febrem tunc oriri cum capillaria eo numero obstruuntur, ut sanguis è truncis arteriosis ad venas celerius pulsus proportionem cum sanguine venæ cavæ habeat, ejusque reditum ad cor acceleret. 3º. Magnitudinem & vehementiam Febris non solum ab obstructionis gradu, sed capillarium obstructorum numero venire, quia eò magis partibus, præcipuè internis, infarctis, seu inflammationis periculum imminet, quò sanguis per truncos & majora vasa uberius fluere cogitur.

Ex dictis facile patet Febrem ab inflammatione non multum differre, & veluti ad eam gradum esse ; hæc enim truncorum infarctum, & majorem capillarium obstructionem supponit, quâ circuitus humorum maxime intercipitur : Exindè fit ut inflammatio tam facile Febri superveniat, & sine ipsa ferè nusquam sua tempora percurrat, imò Febris eò gravior atque periculosior est quò plurium partium simul inflammationem parit.

Quandoquidem ex capillarium angustia Febris sæ-

piùs nascitur, ad eam quoque præcipuæ causæ remotæ dirigendæ sunt: Plura verò hanc obstructionem efficere possunt, quatenus humores spissos, ad circulan- dum haud idoneos reddunt, aut constringendo vel la- xando capillarium cavitates angustant. Hæ causæ uni- versales sunt vel singulares, universales ex aëris vitio, vel pravâ ciborum qualitate veniunt, & Febres epidemicas seu populatim grassantes produciunt, cum nihil aliud præter aërem & cibos hominibus commune sit: In quo verò consistat hoc aëris vitium, aut prava ciborum qua- litas Febribus epidemicè grassantibus natales præbens, hic exponere locus non est, adeoque omiſſis univerſa- libus causis, singularium explicationem aggrediamur.

Et 10. à causa Febrem ut plurimum concitante exor- dium sumamus, cruditates primarum viarum intel- ligimus, quæ coeteris omnibus Febrem sæpius produ- cunt, hæ enim læsæ coctionis soboles sunt, ac idcirco quid tenax, glutinosum, à cibis non subactis, malè coc- tis genitum, quod venas lacteas ingressum paulatim vias sanguinis subit, suâque visciditate partes sanguinis copulans humorum massam spissioreni reddit: San- guis spissior vigore cordis ad vasa minima & capillaria pulsus, ea obstruit, diametro liquidarum partium va- sorum cavitatem excedente; dum verò circularis hu- morum motus in capillaribus lentescit, majorque san- guini ponè sequenti efficitur resistantia, cruor uberius in truncos, seu majora vasa refluit, per quæ citius ad venas traductus, celerius in cor reduciſſur. Hæc clariùs patebit expositio, si ad velocitatem sanguinis tubum arteriarum decurrentis, undè tot mille cordis & arte- riarum pulsus intra breve temporis intervallum fiunt, & ad vasorum capillarium inflexiones & divaricationes attendamus, quæ tot numero sunt, ut captum huma- num excedant, ex quibus liquidò patebit circuitum sanguinis debito modo & expeditè fieri non posse, ni humores naturalem ac debitam obtineant fluiditatem, seu partibus adeò leviter cohærentibus componantur,

ut facîle sejungi possint, & quilibet globus in alios minores dividatur, diameter partium liquidarum hac divisione imminutus capillarium diametrum non excedit, sicque servatâ debitâ diametrorum proportionem, sanguis intra capillaria minima & inflexa expeditè movetur.

Cruditates autem generant prava victûs ratio, nimia ciborum copia, prava eorundem indoles, aquæ paludosæ, coenosæ, morâ & stagnatione putrescentes, potus nimis frigidus, gelidus, coelum nebulosum, exercitia nimia, vigiliæ immodicæ, labor vehemens & insolitus, magna animi contentio, effrænata venus, ebrietas, sexcentaque alia quorum explicatio ad aliorum affectuum historiam pertinet.

20. Suppressis consuetis evacuationibus Febris succedit, vel quia moles humorum augetur, vel quia partes nocuæ & excernendæ retinentur. Plethora seu moles humorum adaucta vasa nimis replet, & majori liquidorum copiâ, capillaria imprimis opprimit, quæ utpotè truncis debiliora segniùs humores pellunt; lentescentium humorum partes vasorum oscillationibus pressæ compinguntur; moles earum sic adaucta capillarium diametrum excedit, undè obstructio nascitur.

Verùm si suppressa evacuatio partes intra vasa retineat, quas natura ut inutiles nocuasve excernere solet, evacuationis suppressio non solum molem humorum auget, verum etiam sanguinem partibus gravidat mole & figurâ ad capillaria permeanda haud idoneis, quæ dum circulationis ope ad vasa minima perducuntur, hærent, & obstructions generant. Hac ratione fit ut Febris catamœniis, fluxui hæmorrhoidali, hæmorrhagiis criticè contingentibus suppressis sæpè succedat, quia retentis his evacuationibus, crescit nimis humorum moles, atque sublato liquida inter & solida æquilibrio ad statum sanum necessario, lentescentes humores sensim fluiditatem amittunt, & spissantur. At faciliùs Febris producitur suppressâ urinâ, cohi-

bità transpiratione insensibili vel sudore, quia harum evacuationum suppressio & molem humorum auget, & imprimis partes retinet, quæ congestæ molem & superficiem partium sanguinis alterando, ejusdem fluiditatem tollunt: Ex eo fit ut lochia ferè nunquam supprimantur, quin Febris accendatur, Lymphâ lacteque uterino retentis, quæ diuturniori morâ & stagnatione spiciscunt, ac dein in vasa sanguifera repulsa graves & pertinaces capillarium obstructions generant.

Ex dictis patet plurima esse rerum genera quæ evacuationes consuetas supprimendo Febrem accendere possunt, uti vehemens animi pathema, contactus corporum frigidorum, nimia aëris frigiditas, lapsus in aquam frigidam, intempestivum Thermalium balneum, medicamina ipsa opportunè non exhibita materiam evacuationis revellentia, vel intra corpus retinentia, ut narcotica, adstringentia, &c. Ex his facile concipitur cur semel factâ naturæ viribus criticâ evacuatione, altera arte non movenda, sed potius, ut monet Hypocrates, quò natura vergit, eò quoque ducendum.

30. Animi pathëmata, curæ, sollicitudines non raro Febrem pariunt, præsertim si vehementiora fuerint, aut diù afficiant etenim ob arctissimam mentis cum corpore copulam, sicuti corporis morbi animi vigorem impediunt, ita & animi vitia in corpus redundant. Quis verò sit afficiendi modus, id experienciâ tantùm noscere possumus: Hæc autem nos docet ab irâ humores æstuarè, circuitum ipsorum accelerari, intendi vasorum pulsus & oscillationes, ac proindè sanguis in truncis velocissimè motus, capillaria velociùs ingreditur, quæ eâ celeritate permeare nequit quam sanguinis appellentis velocitas exigit: Exindè nimia capillarium repletio, sanguinis mora, cruoris stagnantis valida compressio, quâ ejus partes adunatæ majores moleculas efformant quibus capillaria obstruuntur.

Alter & ferè oppositus in metu & tristitiâ animi ef-

fectus percipitur ; tardatur nempe humorum circuitus, languet vasorum pulsus, cordis & arteriarum vigor debilitatur, idcirco sanguis lentè ad capillaria appellit, lentiùs per ipsa volvitur, sicque defectu motùs lentescit, spissatur, eorumque cavitates obstruit.

Curæ & sollicitudines motum humorum augment, vasorum pulsus intendunt, quibus fluidarum ac volatilitium sanguinis partium magna & assidua jactura fit, quæ vasorum ariditatem & constrictionem nimiam parit, molemque partium sanguinis auget, dissipatis partibus mobilioribus, crassiores coïre necesse est ; quapropter moles partium sanguinis crescit, & simul cavitates capillarium imminuuntur, quod profectò absque ipforum obstructione non fiet. His ita expositis conceptu difficile non est, cur Febris quam curæ & sollicitudines peperere, à purgantibus, emeticis, aut alterantibus ut plurimum intendatur & exacerbetur, tutiùs verò citiùsque humectantium & refrigerantium usu sanetur.

Simili ferè modo agunt vigiliæ nimix, venus nimium culta, quæ sæpè Febrem pariunt iis qui fervidiori temperamento donantur, quorum explicationi superfedemus, cùm ex superiùs expositis satis pateat.

40. Otium nimium Febrem nonnunquam parit, presertim si relictis solitis exercitiis vita otiosa succedat, nisi ciborum defectu exercitii cessatio compense-
tur. Otio languent vasorum pulsus, tardatur humorum circuitus, minorque totius sanguinis massæ divisio fit : Sanguis paulatim spissior factus difficilè capillaria permeat, in ipsis lentescit & stagnat, hinc obstructio ipforum nascitur, quâ datâ, circuitus sanguinis per truncos absolvendus ; sed exercitii defectu, excernenda quoque retinentur, & corpus minùs perspirabile fit, quia humores spissi, vias perspirationi excernendæ dicatas subire minimè possunt : Exindè humorum quantitas augetur, & pari momento moles partium sanguinis crescit, quæ ad obstructionem capilla-

rium efficiendam non parùm conducunt. Idem somnus longior præstat, cum otii species reverà sit.

50. A suppuratione Febrem excitari docet quotidiana experientia, nec ea semper doloris est effectus, cum iis etiam superveniat suppurationibus quas dolor nullus comitatur; igitur Febrem pariunt partes materie purulentæ per ostia vasorum ruptorum in ulcus vel abscessum hiantia in sanguinem traductæ, quæ utpotè partibus sanguinis crassiores & spissiores, circulatione ad capillaria raptæ, ea mole suâ obstruunt. Neque tamen suppuratio quælibet Febrem accendit; hæc æstum Febrilem præprimis parit, si partes internas obsederit, ob majorem vasorum amplitudinem, ibi enim & trunci & rami majores quàm in cute observantur: Quoniam verò purulentæ partes non plures simul, sed successivè sanguini suppeditantur, & ulcera vel abscessus sunt affectus contumaces, ex eo quoque fit ut Febris à suppuratione facta lenta & diuturna sit.

60. Humores ipsi recrementitii Febri natales sæpè præbent, dum in colis suis lentescentes, tardiùs in sanguinis oceanum reducuntur; hac enim diuturniore morâ partes eorum integrantes strictiùs copulatæ & connexæ, molem majorem & figuram insolitam acquirunt: Sic alterata recrementa è suis vasis expulsa, sanguiferis recipiuntur, & unà cum sanguine ad extremas vasorum propagines perducuntur; quas ægrè lentèque permeant; sicque ulteriori morâ spissitudinem majorem adepta capillarium obstructiones efficiunt.

Hac ratione fit ut Lympha in glandulis longiori morâ alterata, ac dein sanguini permixta Febrem sæpissimè pariat, præsertim si particulis durioribus, ad fluendum ineptis ipsa jam scateat, ut scorbuto, scrophulis, aut lue venereâ laborantibus contingit. Similiter lac diutiùs in mammis retentum ac spissatum, per ductus resorbentes iterum sanguini redditum, Febrem sæpè gravem ac periculosam accendit: Sic lactea Febris

à lacte, uteri constrictione, in sanguinem repulso, in puerperis fit. Demùm bilis in colis suis morâ ulterio-
ri depravata, ac per vias chyli ad sanguinem traducta,
Febrem quandoque parit acutam. quæ partium inter-
narum inflammationem sibi adjungit.

70. Ex repentinâ aëris mutatione morbos & Febrem ipsam enasci omnes fatentur Medici, idque experien-
tiâ certum videtur, cùm repentinâs aëris mutationes,
Febres epidemicè grassantes antecessisse non semel ob-
servatum fuerit, & reverà si attendatur, quis sit in hu-
mano corpore aëris usus, quæve utilitas ad præcipua-
rum functionum exercitium, facile profectò concipie-
tur, quantoperè ex diversâ aëris temperie corpus hu-
manum sit afficiendum, ac perindè Febrem repentinâ
aëris mutatione accendi nemo demirabitur; & reverà
hac subitâ aëris mutatione, frigidi v. g. in calidum, &
viceversâ, mutatur constitutio, motus, velocitas liqui-
dorum intra canales suos decurrentium; crescit pari-
ter aut imminuitur tensio, visque vasorum elastica,
quæ modò stringuntur, dilatantur modò: At præpri-
mis ordo secretionum immutandus, & corpus modò
plus, modò minùs transpirabit ac deperdet, quibus
fieri non potest quin plenitudo vasorum modò major,
modò minor sit: Exindè pulsus vasorum insoliti, vitia-
ta humorum crasis, inæqualis ipsorum circuitus undè
capillarium obstructio nascitur; ponamus enim aërem
frigidum subitò incallescere tunc humores frigore spif-
fati, & cohibitâ insensibili transpiratione uberiores, su-
bitò majori vi commoti, sed nondùm liquefacti, ma-
jori copiâ ad ductus capillares ducentur, qui tantâ hu-
morum quantitate oppressi infirmas contractiones
edunt, hinc humorum mora, & capillarium obstruc-
tio nascitur. At si aër jam calidus derepentè refrixerit,
cohibitâ transpiratione humorum copia crescit, san-
guis subitò spissior fit, uberiusque ad interiora repelli-
tur; hac liquidorum quantitate capillaria nimis reple-
ta, humores debiliùs pellunt, qui idcirco lentescen-
tes, eorum cavitates infarciunt.

80. Medicamina fortiora, evacuantia præsertim non nunquam Febri natales præbent, quia solida potenter stimulando, enormes & inæquales vasorum pulsus excitant, quibus circuitus humorum magnoperè perturbatur; liquida enim à vasis potentiùs contractis repulsa, ad altera majori quantitate appellant, eorumque cavitates infarciunt, sicque multiplicato capillarium infarctu, sanguis truncos permeare cogitur, per quos celerius in cor redit: Prætereà in tantâ humorum turbâ, adeò potenti & inæquali vasorum pulsu, partes liquidorum inæqualiter commotæ & præssæ ad amplexus insolitos veniunt quibus earum moles, superficies, contactus, ac demùm fluiditas immutantur: adeoque liquida sic mutata cavitates capillarium obstruunt. Ex eo fit ut purgantibus aut emeticis intempestivè, vel nimîâ dosi exhibitis, Febris gravissima accendatur; hæc enim de genere stimulorum sunt, quæ solida corporis humani potentiùs stimulando, enormes & insolitas eorum contractiones proritant.

Eodem modò venena acriora præsertim & corrosiva, ut arsenicum v. g. sublimatum corrosivum intus assumpta, Febres horrendas citissimè miseros ægros jugulantes producant, his etenim stimulus vix concipi potest potentior, cùm venena tam acriter solida irritent, ut eorum contextum erosione destruant, & ideò sphacelus, partibus venenorum vi expositis, tam citò contingit.

Alterantia quoque Febrem non nunquam inducunt, non equidem stimulando, at potiùs succos crudos & indigestos antea in corpore latentes exsuscitando, quorum partes alterantibus divisæ & sanguini affluenter permixtæ, ejus fluiditatem imminuunt, & capillarium obstructioni occasionem præbent.

Demùm Febris produci potest ab his quæ capillaria constringunt, aut ipsorum collapsum producant, cùm capillaria utroque modo affecta, circuitui sanguinis obstant, eumque per truncos uberius fluere cogant:
vasa

vasa autem constringunt, & capillarium cavitates angustant.

10. Quaecumque partes humorum serosas absumendo ea exsiccant, exinde capillaria constringuntur, eorum cavitates minus patentes sanguini appellenti magis obfistunt, qui ob majorem resistantiam per truncos uberius fluit: vasa autem exsiccant fœtus, balneaeque calidis & exsiccantibus parata, his capillaria cutis subito excorugata sanguini appellenti obfistunt, qui idcirco ad interiora, & ad truncos majori copiâ ducitur, per quos citius celeriusque in cor redit. Id quoque præstant acria, uti vesicatoria cuti admota quæ stimulo suo, vasorum contractiones intendunt. Huc pariter referri possunt volatilia, spiritiosa, acriave ingesta, quæ capillaria truncis magis exsiccant.

20. Capillaria angustantur ab his quæ collapsum eorum producant, vasa enim subitâ exinanitione depleta, tonum amittunt, horum tunicae laxae & inertes collabendo, cavitates imminuunt, motum humorum progressivum retardant & impediunt, quo fit ut sanguis per truncos celerius in cor reducat. Hunc collapsum inducunt insignis hæmorrhagia, evacuationes immodicae per renes, sudores, alvum, &c. inedia; massa sanguinis ab his subito multumque imminuta, per truncos ob viarum directionem & facilitatem ferè tota rapitur: Neque profectò in statu sano sanguis aliâ ratione à truncis in ramos derivatur, nisi quia trunci pleni & conici sunt, ex quo fit ut columna liquidi à basi ad apicem coni decurrentis, è loco ampliori in angustiore moveatur, sicque ejusdem diameter pari proportionem minuendus, quâ viæ amplitudo decrescit, quod ita fieri nequit nisi quædam liquidi portio à cavitate trunci abscedat, ramosque ingrediatur; verum imminutâ humorum massâ, columna liquidi intra truncos decurrentis imminuitur, quæ minor idcirco quam solito more, truncorum diameter minus ac ferè nullatenus excedet. Igitur mi-

nor ac ferè nulla fiet liquidi in ramos derivatio, ac propterea minor ac ferè nulla capillarium repletio, undè illorum collapsus.

SYMPTOMATA FEBRIS.

UT viâ & ratione procedat symptomatum explicatio, opere pretium duximus, ea in antecedentia, conjuncta & succedentia distinguere: sic omnia suo loco exponentur, & natura Febris clariùs innotescet.

ANTECEDENTIA.

1^o. **Q**UOS Febris est brevi invasura; iis lassitudines spontaneæ accidunt ob humorum visciditatem à materiâ febrili inductam, humores viscidi & spissi in capillaribus lentescunt colliguntur, suâque copiâ vasa opprimunt, & pondere distrahunt, unde molesta lassitudinis sensatio efficitur.

2^o. Ante Febris invasionem membra ægrè difficilèque moventur, quia sanguis materie febrilis permixtione, spissior factus lentescit, seu tardigradus in contextu musculorum moratur, exinde major fibræ carneis in contractionem nitentibus resistantia efficitur; ad quam superandam vires majores exercere coguntur, unde contractio musculorum laboriosa.

3^o. Spissiori sanguinis crassi, circuitus humorum per capillamenta ægrè absolvitur, exinde insolita liquorum in vasa arietatio, quæ præsertim tempore somni crescit, quia solida vi debiliori contracta debiliùs quoque fluida premunt & expellunt. Hac verò majori humorum arietatione fibræ nervæ succussæ majorem li-

quidi cerebroſi copiam ad partes dimittunt , quâ organa ſenſuum tenſa ad impreſſiones objectorum ſuſcipiendas , atque in cerebrum tranſmittendas idonea evadunt , undè ſomni intermiſſio. Hæc quoque fieri poteſt ab arteriis cerebri ſanguine fervidiori tempore ſomni turgidis , ac validiùs micantibus quæ fibras nerveas vicinas potenter ſuccutientes , earum liquidum majori copiâ ad partes ſubjectas impellunt.

4°. Horror Febrem nonnunquam antecedit , dùm materia febrilis per vices ſanguini admixta , ejuſdem partes quaſi per gradus cogit , quæ mole & craſſitie in extremis capillaribus lentefcunt , undè major liquidorum in vaſa affricus , quo moleſta horroris ſenſatio efficitur. Ob majorem vel minorem materie febrilis viſciditatem vel copiam fit , ut ſanguis magis vel minùs craſſeſcat undè ejuſdem circuitus magis aut minùs in capillaribus retardatur , ac idcirco modò horror , quandoque frigus Febrem antecedit , frigus enim erit ſi motus ſanguinis in vaſculis ſit interruptus & ipſe quaſi per ſaltus progrediatur , ita ut alternâ vice nervis modò ab arteriis ſanguine turgidis , compreſſis , modoverò progrediente ſanguine ejuſmodi compreſſione liberatis , muſculi moveantur , vel potiùs convellantur. Etenim tametſi ſanguis materiâ febrili ſpiſſetur , & ejuſdem circuitus imminuatur , ex hoc tantùm frigus deduci poſſe nobis non videtur , nam quopactò imminutus motus majorem muſculorum contractionem efficere poſſet ; quapropter frigus , quatenùs ſenſatio eſt ſtimulum à quo producatuſ requirit.

5°. Non ſemel ructus , naſea , vomitus priùs ægrum excruciant quàm Febris accendatur , dum Febris ipſius fomes in ſtomacho latet , ſeu cruditates læſa ciborum coctione ibi congeſtæ , morâque diuturniori putreſcentes Febris cauſa ſunt ; harum partes mole , duritie & inæquali ſuperficie nervos ventriculi graviter ſtimulantes , celeres ipſius contractiones promovent , partesque vicinas ut diaphragma muſculosque epigaſtricos per

consensum afficiunt. Ex eadem causâ oris fetor, inappetentia, pondus stomachi molestum oriuntur, quibus ægri pluribus diebus antequàm Febris invadat sæpe excruciantur.

6°. Febre proximè imminente, pulsus contractus parvusque est. Sanguine intra capillaria lentefcente, minor cruoris quantitas lentiùs in cor reducitur, quod minus segniùsque contractum minorem in arterias impellit, quæ perinde parum dilatatæ à contractionis statu leviter diducuntur, undè pulsus contractus parvusque est. Verùm quæ mobiliiores sunt particulæ, sensim à crassioribus, utpote faciliùs per vasa minima progressuræ separantur, in vasa libera feruntur, sicque sanguis in vasa libera interiora scilicet derivatur. Derivatus in interiora sanguis majori copiâ citiùsque in cor reducitur, quòd magis stimulaturn, majorique vi contractum sanguinem in vasa libera validiùs impellit, sicque dein motus sanguinis progressivus acceleratur.

C O N J U N C T A.

PLURA Febri conjunguntur symptomata, quædam ex his pathognomonica seu planè ab ipsâ inseparabilia sunt, ut præternaturalis pulsus frequentia & calor sine quibus Febris nunquam esse potest, coetera assidentia dicuntur ex eo quòd plerumque Febri accidunt, neque eadem semper in Febre reperiuntur, uti sitis, vigiliæ, dolor capitis, &c. Igitur priùs quæ Febri essentialia sunt exponamus, coetera dein figillatim explicaturi.

1°. Nulla Febris absque præternaturali pulsus frequentia, quia Febris frequentiore cordis contractionem essentialiter supponit; notum enim est ex physiologicis pulsus seu arteriarum dilatationem à sanguine è corde in earum cavitates impulso fieri, erit igitur

frequentior arteriarum pulsus, si cor ipsum sæpius contractum sanguinem quoque crebrius in arterias pellat, verum in omni Febre sanguis celerius in cor reducit, crebrius ergo dilatabitur atque contrahetur. Quoniam verò diversa esse potest sanguinis in cor redeuntis velocitas, & copia, ex eo quoque fit, ut cor magis aut minus stimulum contractiones similes in omni Febre non edat, neque semper eandem sanguinis copiam cum eadem velocitate in arterias pellat, inde tot pulsum differentia quæ in febricitantibus explorantur.

2°. Invalescenti & acceleratæ cordis vi succedit sanguinis progredientis major velocitas, & impetus in vasa validior, ex impetus atque velocitatis augmento, cum liquida in interioribus seu majoribus vasis quantitate solito majori contineantur, atque velocius moveantur, calor intenditur, cum calor sit ut sanguinis velocitas. In extremis capillaribus liberis similia ac in majoribus contingunt, cum ubique major sit sanguinis impetus atque velocitas: in obstructis verò ubi sanguis stagnat, ejusque velocitas imminuitur, crescit tamen caloris sensus, quia impetus liquidorum in solida augetur, sanguis enim pulsus in capillaria obstructa, quia liberè progredi nequit, totis viribus ad latera deflectit, sicque majori vi ea impetit; ex hac majori liquidorum in solida actione, major solidorum in liquida vis sequitur, quâ moles humorum pressa, valideque commota impetu validiori in solida agit, ex quâ mutuâ actione fit ut utraque partes incallescant.

3°. Adauctâ mutuâ liquidorum in solida & solidorum in liquida actione, quæ subtiliores, ut aqueæ, sunt particulae sensim ab aliis separatæ per poros vasorum magnâ copiâ avolant, igitur sanguis suâ serositate orbatus sensim exsiccat, succumque salivalem minus aquosum & humidum ori faucibusque suppeditat, ex hoc humiditatis defectu, faucium ariditas ipsaque nascitur sitis.

4°. Sanguis vi cordis in obstructa capillaria pulsus per ea liberè progredi nequiens, totis viribus in eorum tunicas arietat, quo impetu nervis prætermodum distractis, tristis ac molesta animæ sensatio fit, quam ægri voce nullâ exprimere sciunt, & Medici anxietates vocarunt: Hæ mites & tolerabiles sunt, si in vasis à corde valdè distantibus fiant, secùs verò gravissimæ & mortem brevi futuram prænuntiant, si circuitus sanguinis in partibus cordi vicinis, ut pulmonibus, maximè impediatur.

5°. Accelerato circuitu, sanguis ad cerebrum crebriùs appellens uberiores liquidæ copiam nervis supeditat, obstructis enim capillaribus, quæ in interiora derivatur sanguinis portio, tenuissima mobilissimaque est, utpotè quæ difficiliùs tardiùsque lentescit, ergo carotides vertebralesque arteriæ copiosiori tenuiorique sanguine irrorantur, quarum ramuli difficiliùs rariùsque, quam reliqui corporis capillaria, imprimis à corde sive aortæ trunco remotiora infarciuntur, unde copiosior spirituum secretio. Quod ita fieri earundem arteriarum origo ab aortâ, vel locis aortæ proximis situs ad rectam lineam maximè accedens abundè docent. Auctâ spirituum quantitate, arteriisque cerebri crebriùs validiùsque oscillantibus, copiosior fit spirituum in nervos influxus, qui continuo tensi ad objectorum impressiones recipiendas continuo sunt parati, quâ nervorum dispositione status vigiliæ fit.

6°. Copiâ aut indole materiei febrilis, vel utrâque simul, quandoque fit ut sanguis truncos permeans spissior ad cerebrum delatus lentè difficilèque intra huius visceris capillaria moveatur, nec pari quantitate per sinus è cerebro reducatur quâ per carotides appellit, undè ductuum sanguineorum cerebri substantias irrorantium repletio, dilatatio major, tubulorum verò medullarium è substantiâ corticali nascentium compressio, imminuta liquidi spirituosæ secretio, impeditus secreti influxus, nervorum depletio, collapsus,

Somnolentia demum serie quasi inevitabili sequuntur.

7°. Si sanguis foetus partibus mole & soliditate dissimilibus ad cerebrum ducatur, inordinate circuit, celerius in vasis movetur, quæ partes mobiliiores admittunt, lentius in iis quæ crassiores ingrediuntur, exinde inæqualis fit arteriarum pulsus, fibrarum medullarium compressio, liquidi spirituosus ad partes influxus, musculorum contractio, seu partium convulsio, quæ ægrum affligere non cessat, nisi prius restituto seu liberiore facto intra vasa cerebri cruoris circuitu; hæc verò si in vigore Febris post prægressas dissipationes aut immodicas evacuationes acciderint, à cerebri lapsu, debilitato ejusdem vasorum tono & elatere fieri non levis est suspicio.

8°. Ob velociorem sanguinis ad partes superiores appulsum, nimiamque vasorum membranas capitis. Componentium exilitatem, & imprimis inflexionem fit, ut sanguis pari velocitate vasa membranarum non permeet, quâ per arterias ad ipsas ducitur, hinc ejusdem hærentia, vasorum repletio ac violenta distractio fit, undè dolor capitis internus, aut externus, sanguine modò in pericranio, modò in meningibus vel in utrâque parte simul stagnante.

9°. Parte sanguinis crassiore & spissiore in capillaribus hærente, cavitas vasorum obstruitur, ergo portio reliqui sanguinis ponè sequentis intra horum cavitates detinenda, sicque vasa magis repleta intumescere necesse est; verùm in cute vasa miræ atque incredibilis parvitas, per quæ sanguis in statu sano circumagi solet, quanquam à corde multum distita, reperiuntur, intra quæ ut liquida admittantur, tenuissima esse necesse est, ergo humore crasso tenacique lentissimè moto, vasa cutis, infarcientur, sanguineque stagnante intumescant, ac perinde tota cutis tumida & quasi inflata erit.

10°. Accelerato in vasis majoribus sanguinis motu, in capillaribus retardato, quæ stagnante sanguine repleta turgent, musculorum immittitur robur seu

contractio, quia fibræ ipsorum contractiles utpote in numeris capillaribus conflatae, humore viscido tenacique infarctæ, & quasi oppressæ, difficile suam contractionem exercent: Erit vero major aut minor virium debilitas juxta varium infarctus gradum, viscidique hærentis copiam, quæ, vigente Febre, exhausto nervorum liquido, prægressis evacuationibus, defectu cibi assumpti augebitur.

11°. Obstructis capillaribus sanguis intra majora vasa tantâ velocitate rapitur, ut rarefactus sæpiusque in pulmonibus circumductus inspirationem difficiliorem efficiat, hoc enim celeri & frequenti sanguinis ad pulmones appulsu, fieri non potest, quin extremi arteriæ pulmonaris fines præ exilitate & inflexione infarciantur, aërique inspirato, ductus tracheales expandere conanti obstant. Quoniam verò quolibet cordis pulsu, sanguis ad pulmones appellens ipsorum vasa impetit, nervosque pulmonares stimulat, hoc quoque stimulo (juxta sympathiæ leges) novus spirituum influxus ad musculos respirationis proritatur, corde igitur sæpius contracto liquidum spirituosum, sæpius celeriusque ad musculos respirationis fluet, quæ idcirco frequens & difficilis erit.

12°. Sanguine intra majora vasa velocius rapto, in capillaribus lentefcente, & vasis vi inæquali oscillantibus, nullus fit humorum debitus & æquabilis attritus, neque laudabilis subactio, ergò recrementa in sanguine non generantur, & si quæ fuerint generata, vitiosa erunt, ad functiones quibus destinantur absolvendas parum idonea; saliva igitur succusque stomachalis depravata, nec famis sensationem, neque ciborum coctionem debite absolvere poterunt. Verum tametsi anorexia febrilis ab hac causâ effici possit, nihilominus tamen sæpe à cruditatibus primarum viarum ventriculū obsidentibus producitur, ita ut hæ cruditates Febris & anorexiæ causa sint.

13°. Quandoquidem obstructio capillarium à parte sanguinis crassiori & tenaciori fit, parsque fluidior & mobilior

mobiliior à crassiore liberata in vasa majora libera fertur, totus ergò sanguis, qui ad interiora derivatur, altero in capillaribus stagnante fluidior est pluribusque particulis aqueis dives, igitur urina quæ inchoante Febre in renibus fecernetur, fluida & aquosa erit; verum quoniam perseverante Febre capillaria obstructa in validiores contractiones nituntur, quibus crassum viscidumque stagnans indefinenter premunt, idemque sanguis appellens perpetuò collidit, his ergò iteratis pressioibus & collisionibus attritum viscidum atque in minores particulas divisum è vasis capillaribus exprimitur, in majora derivatur, viasque circulationis iterum subit, sicque ad renes delatum cum urina fecernitur: Quò verò viscidi in capillaribus hærentis fit attritio, eò quoque in vasa libera uberior ejusdem derivatio, ac copiosior in renibus secretio, quapropter urina crassis viscidisque partibus magis foeta, turbida, variè colorata, imò flammea, ad partes irritandas idonea excernitur.

140. Sudor qui diversis Febris temporibus accidit: à variis quoque producitur causis qui in initio Febris movetur, pro causâ vasorum cutis extremorum debilitatem habet, vehementi sanguinis impetu apertorum, particulas aqueas ex reliquis sanguinis partibus separatas facile admittentium; sudor verò qui in vigore Febris aut declinatione movetur, partes crassas capillaria obstruentes divisas subactasque, liberiores per vasa cutis sanguinis circuitum, faciliorem ad extrema vasa appulsum supponit, exindè liquet sudorem initio Febris nocuum ut plurimum esse, quia orbat sanguinem liquido diluente, reliquum inspissat, obstructions facit lethales, sanguine postea vix diluentibus, vel solventibus auscultante; secus fore salutarem in vigore aut declinatione Febris, quia partes viscidas subactas obstructions capillarum referatas æquabiliorem & liberiores sanguinis circuitum, uno verbo Febris solutionem plerumque declarat. In immensum profectò hæc disserta-

tio cresceret, si omnia enumerare vellemus symptoma-
ta quæ Febri conjungi possunt, cum plerique morbi
Febrem sibi adjunctam habeant.

S U C C E D E N T I A.

1^o. **Æ**STU febrili concitato, solida crebrius for-
tiusque oscillantia liquida validius premunt,
motuque citiori pellunt, accelerato sanguinis circui-
tu, liquida in tunicas vasorum majori impetu, ferun-
tur & eorum angulis præsertim vehementius allidun-
tur, hinc partium mobilium à crassioribus disjunctio,
quæ separatæ per ductos excretorios copiosè excernun-
tur; at aqueæ particulæ omnium sanè sanguinem com-
ponentium mobilissimæ sunt, hæ igitur avolabunt, &
sanguis his orbatus ficcior fiet, totumque systēma vaso-
rum minus humescet, ac perindè partes humido de-
fraudatæ arescent. Exinde cutis solutâ Febre, aspera,
rugosa, aridaque tactu sæpè sentitur.

2^o. Vigente Febre, nimius est liquidorum in solida
impetus, nimiaque solidorum in liquida reactio, undè
nimius utriusque partis attritus quem maxima partium
dissipatio sequitur; verùm defectu cibi vitioque instru-
mentorum coctioni inservientium reparatio solito mi-
nor est, ergò quantitas omnium humorum valdè mi-
nuenda. Est autem moles corporis ut vasorum dilata-
tio, istaque pro ratione quantitatis liquidorum veræ
aut apparentis, exhaustâ igitur, prægressis dissipationi-
bus, liquidorum omnium quantitate, remissâque san-
guinis rarefactione, vasa minùs repleta minùsque dila-
tata decrescent, totumque corpus macescet. Demùm
Febre maciem contrahimus quia sanguis tot validis va-
sorum pulsibus, tot nimis collisionibus inæqualiter
attritus, partes alibiles non habet, quibus partium jac-
tura sufficienter reparetur.

30. Obstructis capillaribus invalescente cordis vi, sanguis majori impetu in obstructa loca fertur, lateraque vasorum vi majore dilatat, quæ tenera iteratis sanguinis ictibus tandem rumpuntur, disruptis vasis sanguis effunditur, suppuratio incipit, ulcus generatur, Febrem lentam, marasimum, ipsamque mortem inferens, nisi purulenta materia viam inveniat paratam quâ sinè periculo expurgari possit

Hæc ulcera Febri succedentia nullum quandoque sui indicium exhibent, dum ab exigua suppuratone incrementum sensim suscipiente, in partibus interioribus imprimis facta ortum habent, aliquando hæc ulcera præsagiunt gravis partium inflammatio, sanguinis hæmorrhagia, dolor & calor maximus eandem partem constanter afficientes: Ex eo liquet cur Febris jam soluta absque causâ manifestâ brevi redeat, nulloque medicinæ auxilio tolli vel mitigari possit, vel acuta, irritâ medicaminum vi, in lentam mutetur.

40. Febris obstructionem viscerum nonnunquam relinquit, dum partes crassiores capillaria obstruentes vasorum oscillationibus, nec sanguinis huc pulsi impetu atteri, subigi expelli possunt, sed in locis obstructis pertinaciter hærentes, calore febrili, fortiori vasorum pulsu, liquidiora exprimente, crassiora adunante quasi induratae cavitates vasorum obturant, transitum sanguini tollunt, & canales impervios faciunt. Inchoata semel canalium obturatio hærente humore augetur, cujus partes prius sejunctæ in unam massulam quietè adunantur, expressis in laterales ductus fluidioribus, sicque multiplicatâ canalium obturatione, obstructio prius insensibilis in tumorem sensibilem abit, qui facilius in visceribus partibusque glandulosis producitur, tum ob laxiorem eorum compagem, tum ob venarum numerum quibus fit ut crassiores partes facilius admittant, segnius subigant & expellant.

Neque tamen perseverante obstructione Febris perseverat, quia sanguis æstu febrili commotus ad vasa

obstructa crebrius appellens, in ipsa validius arietans ductus laterales liberos extendit & ampliat, quos dein copiosius permeans circularem motum liberè placidèque absolvit.

5°. Pars sanguinis alba seu lymphatica, calore febrili, aqueas particulas dissipante, concreta vi cordis inductus lymphaticos, ex arteriis sanguineis oriundos, intrusa ibique extra sanguinis orbem posita lentescens, spissiorque facta colligitur, vasa tenerrima replet, prætermodum dilatat, rimasque in ipsis efficit, quibus pars fluidior exit ac in partibus colligitur. Humoris lymphatici moræ, spissitudini & effusioni favet, debilitata omnium vasorum in extremitatibus præsertim, utpotè à corde remotissimorum oscillatio; factâ verò Febris remissione, imminuta cordis vis, languens majorum arteriarum pulsus quibus fit ut lymphæ suos ductus ingressa, debilius pressa hæreat.

At hydrops cavitates sæpè afficit, ob ingentem venarum lymphaticarum numerum, laxioremque viscerum in ipsis contentorum compagem, quæ hærentiæ & collectioni lymphæ ansam faciliè præbent hoc ita fieri Anatomia, inspectio viscerum, demùm affectus ex obstructione nascentes quibus viscera præsertim abdominis sæpius afficiuntur, abundè docent.

D I A G N O S I S.

DIAGNOSIS ex his peti debet quæ Febrem ita sequuntur ut ab ipsa inseparabilia sint, ejusque essentiam constituent, duo autem sunt sine quibus Febris nusquam est, scilicet pulsus frequentia & calor, ergò hæc duo Febris præsentis signa erunt; hæc tamen fallacia sunt, neque ipsis temerè facilièque credere oportet, nam plerumque satis sano corpore si stomachus infirmus est, arteriæ debiliter pulsant, nonnunquam etiam im-

minente Febre fubeunt & quiescunt, ut imbecillus is videri possit, cui gravis instat accessio. Contra sæpè pulsum concitat sol, Balneum, & exercitatio, & motus, & ira, & quilibet alius animi affectus, adeò ut cùm primum Medicus venit, sollicitudo ægri dubitantis quomodo illi se habere videatur, pulsum moveat, ob quam causam periti Medici est, non protinùs ut venit, apprehendere manu brachium, sed primùm residere hilari vultu percunctarique quemadmodum se habeat, & si quis ejus metus est, eum probabili sermone lenire, deindè ejus carpo manum admovere.

Altera res est cui credimus calor, æquè fallax, nam hic quoque excitatur æstu, labore, somno, motu, sollicitudine, assumptis calidis, epotatis liquoribus spirituosus, aliisque quam plurimis homini frequenter absque Febre accidentibus.

Sed & maxima est frequentia pulsus diversitas, ratione ætatis, sexus, & temperamenti, nam plerumque pulsus pueris frequentior est, adultis & senibus, gracilibus quàm obesis, foeminis quàm viris, temperamento fervido & bilioso præditis quàm pituitoso. Præterea gradus frequentia qui ad Febrem constituendam requiritur, definitus non est, sufficit ut sit naturali major isque adeò levis quandoque est ut vix distingui possit, exindè frequens inter Medicos rixæ occasio nascitur, utrum Febris adsit nec ne.

Igitur intueri quidem etiam ista oportet, sed his non omnino credere ac protinùs quidem scire, quâ de causâ febricitare inceperit æger, utrum cùm frequentia pulsus, & calore intenso, aliarum adsit functionum læsio, non fugax sed constans, non à causâ externâ & evidenti humores & solida graviter non afficiente, sed ab eâ causâ internâ præsertim & abditâ, quæ circuitum liquidorum, & vasorum oscillationes constanter seu per aliquòd tempus depravare potest, unâ pensitatis ætate, sexu, & ægrotantis temperamento, ex quibus omnibus simul collectis certa Febris præsentis diagno-

sis erit. Februm autem species propria habent signa quibus & nosci, & invicem distingui possint, quæ recensere hujus loci non est, cum hæc ad particularem cujuslibet Febris historiam pertineant.

Signa causarum ex ægri relatu, ex prægressis & concomitantibus Medicus assequetur, percunctando ab ipso quam ob causam in Febrem inciderit, utrum errorem in cibo potuque commiserit, an vehementi animi motu fuerit affectus, aut frigori maximo corpore æstuante se exposuerit, an pars quædam tumeat doleatque, utrum à ructu, nausæa, vel vomitu Febris inceperit, demum ex accuratâ eorum indagine quæ Febrem præcessere, aut ipsam comitantur, certa & quasi evidens fit causæ remotæ diagnosi.

P R O G N O S I S.

SI quis futurum Febris eventum noscere velit, duo imprimis considerare debet, scilicet pulsus statum dein catervam vehementiamque symptomatum quæ Febrem comitantur. Quo minùs à statu naturali pulsus recedit, & vires magis constant, eo minùs periculosa Febris, secus verò gravis judicatur. Pulsus magnus, plenus & fortis liberiores sanguinis circuitum, majus solidorum robur indicat; parvus verò, vacuus & debilis impeditum sanguinis per pulmones & cor transfluxum, debilitas vasorum oscillationes arguit, iste igitur illo periculosior erit. At maximum febricitanti imminet periculum, si pulsus inæqualis & intermittens cum summâ virium debilitate, respiratione difficili, extremitatum refrigeratione fuerit conjunctus.

Rursus quò plures à Febre læduntur functiones, eò quoque periculosior habenda, quia sanguinis crasim magis depravatam, & plures atque majores vasorum obstructions, & magis impeditum cruoris circuitum.

Not symptomata demonstrant. Sed imprimis symptomatum vehementiam considerare oportet, quæ non solum læsionis gradu, sed maximè læsæ functionis præstantiâ æstimatur, cum quo præstantior fuerit functio, eo sanè majus ex ejusdem læsione imminet periculum, exindè unanimi Medicorum consensu, teste ipsâ experientiâ, febricitans in maximo versatur periculo si cerebrum, aut pulmones vel viscera abdominalia quid grave patiantur, fore verò in Febre calamitosum, si hæc omnia simul lædantur, ac proptereà prudens sapiensque Medicus omni cogitatione curâque in id incumbere debet ut viscera integra & labe immunia servet.

Verùm adhuc perpendere necesse est, an natura quandam moliri evacuationem conetur, seu materiam febrilem vi vasorum, crebrisque sanguinis collisionibus divisam, subactamque per colum aliquod expellere velit, ne Medicus intempestivâ remediorum exhibitione excernendam materiam retineat, eamque ad loca non convenientia ducat, cum in hoc error gravissimus esse possit, ægrisque maximè nocuus, juvanda potius evacuatio à naturâ inchoatâ, præsertim si eâ perseverante symptomata mitigentur, Febrisque remittatur.

At si ab evacuatione arte obtentâ vel spontè factâ nullum ægroto accidat levamen Febris gravior fit, omniaque intenduntur symptomata, tunc aut mors, aut Febris diuturnitas expectanda, quia natura copiâ vel indole materiei febrilis irritata, frustra evacuationem movet, tuncque opprimitur, vel longo indiget temporis intervallo, ut partes crassas capillaria obstruentes subigere atque expellere queat.

Sed & prognosis prorsus diversa est, ratione ætatis ægri & constitutionis, senes magis periclitantur adultis, qui tenerâ & infirmâ sunt valetudine robustis, qui à morbo convalescunt iis qui ante Febris invasionem valebant, mulieres gravidæ non gravidis, quia Febris sæpè abortum parit; item qui viscera jam diu

obstructa habent, aut lue quâpiam laborant, difficilius convalescunt.

Tandem Febris in alium morbum definit ut in ulcus, abcessum, schirrum, bubones, parotides, iis autem singulis solutionis modis sua competit quoque prognosis.

C U R A T I O.

QUANDOQUIDEM generalem Febris ætiologiam exponere animus fuit, idcirco eas tantum proponemus indicationes, quibus in omni Febre satisfaciendum est, quæ ideò generales vocantur. Verum in omni Febre tria imprimis facienda sunt, nempe vires corroborandæ si defint, vasorum plenitudo minuenda, tandem partium præsertim internarum inflammatio arcenda, quibus ità necessario in omni Febre satisfaciendum, ut hæc tria generales Febris indicationes meritò dicantur. Nam frustra Medicus annitetur si fractis viribus natura jam in perniciem ruat, ergo prius in omni Febre considerandum utrum vires consent, quæ si nimis fractæ fuerint, omni curâ incumbendum ut citò refocillentur.

Ut primùm Medicus viribus prospexerit, dein vasorum plenitudini iteratâ sanguinis missione medebitur, ne sanguis copiâ, rarefactione, æstu, impetuque nimio aut vasa dirumpat, aut ità dilatet, ut mutuâ eorundem compressione factâ, viam sibi occludat; undè subitanea ejusdem in partibus stagnatio fit, quam gravis inflammatio consequitur: sanguis verò mittendus è brachio, è talo, modò è jugulo ad revulsionem modo, modoverò derivationem instituendam, ut imminentibus vel præsentibus capitis aut thoracis morbis, prompta afferatur medela, habitâ tamen ratione ad vires, & ætatem febricitantis, & vasorum plenitudinem,

dinem, quæ rariorem aut frequentiore sanguinis missionem, imò quantum cruoris qualibet vice sit detrahendum indicant.

Dùm sanguinis missione vasa deplentur, futuræ partium inflammationi occurritur, imminutâ cruoris copiâ expeditior fit per truncos vasaque libera circuitus, ad obstructa verò minor liquidorum copiâ appellit, sicque obstructionis incrementum, majorque sanguinis stagnatio impeditur.

At imprimis à diætâ inchoanda Febris curatio, eâque tenuis, humectans & refrigerans est instituenda, plerùmque in cibis gravissimus committitur error, tametsi æger solâ sorbitione vivat, dùm sorbitio aut pinguior aut sæpiùs datur, hæc enim jure animalium parata, pinguiora animalium succos sanguini suppeditat, qui vasorum obstructions fovent, & sanguinis æstum intendunt, huic ergò sedulò attentus sit Medicus, nè victu fortiori vasa repleantur, partes humorum crassæ ulteriùs adunentur, & obstructio vasorum crescat; quapropter inter animalia, juniora seligenda, utpotè quæ tenuiores minusque pingues habent succos. Sed & vegetantia ad ægros cibandos aptissima videntur, horum partes humidæ & aquosæ sanguinem tenacem diluunt, vasa emolliunt, æstum Febris temperant, partesque crassas capillaria obstruentes ad fluendum disponunt, ex his igitur cibis commodè parari potest. Demùm aqua ipsa Febri quandoque medetur, ità docente experientiâ, hæc enim vasa rigida emollit, motum sanguinis temperat, partes crassas dissolvit & quasi coquit, solutas verò ad cola rapit & excernit, quapropter largus aquæ potus ægro prescribendus, ut Febris citiùs solvatur.

Diætâ sic præscriptâ, symptomata Febris, & quænam ex his urgentiora sint, Medicus observabit, cum ad hæc illicò dirigenda sit curatio, & in primis de partibus internis sollicitus erit, ne inflammatio aliquam aggre diatur. Ut primùm partes internæ tutæ & labæ

immunes esse videntur, omni curâ operâque incumbendum, ut materia febrilis intra vasa contenta emendetur ac subigatur, dein cocta subactaque foras ducatur. Verùm dùm primæ viæ hanc suggerunt, necesse est, vasis sufficienter depletis, à medicamento cathartico - emetico Febris curationem inchoare, expurgatâ enim primarum viarum saburrâ, quæ in vasis continentur, aut capillaria obstruunt, citiùs faciliùsque subiguntur. Igitur necesse est causam Febris remotam dignoscere ut rectè procedat curatio, & medicamina congruenter suoque tempore exhibeantur; sæpè culpâ Medici fit, ut Febris in principio benigna, dein gravissima evadat, neglectâ putredinis in stomacho & intestinis latentis expurgatione, quæ sensim in sanguinem tracta, factas capillarum obstructiones fovet, novasque efficit, nullo remedio quandòque tollendas.

Interim acria ac vehementer stimulantia absque necessitate præscribere, neque iis diù insistere oportet, etenim dùm remediis mitioribus obtineri potest Febris solutio, fortiora non sunt adhibenda nè vasa nimis irritata contractiones validiores edant, quibus eorum contextus semper debilitatur, humorumque circuitus ac secretio turbatur, idcirco Practici celeberrimi materiam Febris purgantibus largâ dosi exhibitis blandè subducere consuecunt: Ex eâ methodo alter non levis momenti percipitur fructus, nimirum quæ excernenda sunt, aquosis partibus diluta, & solidorum contractioni magis obsequiosa, absque labore magnâ copiam excernuntur. Cavendum igitur ne fortiora præscribantur remedia ubi mitiora sufficiunt, solida enim absque causâ ad vehementiùs oscillandum irritata motum sanguinis magis turbant, omnia confundunt, succos adhuc crudos commovent & exsuscitant qui capillaria subeuntes eorum obstructionem augent, hinc Febris accrescit, sæpeque pejor evadit.

Cognitâ naturâ Febris ejusque sedulò persitatis effec-

tibus, perspicuum est diluentia & temperantia ad Febrē curandam maximi usus esse, hæc enim sanguinis fluiditatem promovent, nimium ejusdem æstus compescunt, vasorum siccitati & rigiditati medentur, partesque crassas capillaria obstruentes diluendo solvunt, solutasque in vias circulationis rapiunt; igitur diluentia sola & sine cœterorum medicaminum auxilio Febrē quandoque sanasse nemō demirabitur, qui ejusdem naturam & causas agnoscat: Hæc inter aqua maximè commendatur largâ dosi exhibenda, quæ partium suarum tenuitate & mobilitate vasorum obstructorum cavitates subit, partium crassarum interstitia penetrat, partesque adunatas vi suâ separat, atque in minimas moleculas solvit.

Ex his quæ expōita fuere liquet, optimam fieri Febris sanationem, quoties materies capillaria obstruens prius subacta mobiliorque facta resolvitur, huc tendunt ingentes & crebriores vasorum pulsus, tantusque humorum motus, quibus materia obstruens pressa, contusa, divisa per varia cola modò sensibili vel insensibili expellitur; ergo Febris medicamenti virtutem exercet, suâque vi materiam obstruentem quandoque discutere valet, id non semel experientia edocuit, quâ constat plures ex Febre absque medicaminum opē convaluisse, ac propterea jure meritò concludere licet, Febrē solis naturæ viribus absque medicinæ ope quandoque sanabilem esse.

F I N I S.

